



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

3. Sacramentum synodale.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

Episcopo, quicquid de minoribus & levioribus causis corrigere potest, emendare satagat; ut Pontifex veniens nequaquam in facillioribus negotiis fatigetur, aut ibi immorari amplius necesse sit quam expensa sufficiat. At enim Dominus ad Moysen de hujusmodi cooperatoribus: *Vt tecum sustentent onus populi, & non tu solus graveris.* Et beatus Johannes Baptista adventum Domini præcurrit prædicando dicens: *Pœnitentiam agite &c.* Et idem: *Parate viam Domino.* Siquidem Episcopus vicem Christi agere videtur. Et ideo cum gaudio, timore, & summa reverentia à plebibus sibi subjectis suscipiendus est, ut illis cum laude dicatur quod Apostolus discipulis dicit. *Testimonium, inquit, vobis perhibeo quòd ita suscepistis me sicut angelum Dei, sicut Dominum Iesum.*

Num. 11.

Matth. 3.

Gal. 4.

De juratoribus synodi. *Vnde supra.*

Burchard. lib.  
1. c. 91.

II. Episcopus in synodo residens, post congruam allocutionem, septem ex plebe ipsius parrœchiæ, vel eo amplius aut minus, prout viderit expedire, maturiores, honestiores, atque veraciores viros in medio debet evocare; & allatis sanctorum pigneribus unumquemque illorum tali sacramento constringat.

Sacramentum synodale.

Burchard. lib.  
1. c. 92.

III. Amodo inantea quicquid nosti, vel audisti, aut postmodum inquisiturus es, quod contra Dei voluntatem & rectam Christianitatem in ista parrœchia factum est, aut in futurum erit, si in diebus tuis evenerit, tantum

ut ad tuam cognitionem quocunque modo perveniat, si scis aut tibi indicatum fuerit synodalem causam esse & ad ministerium Episcopi pertinere, quod nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam ullatenus celare debeas Episcopo de Treveris aut ejus Misso, cui hoc inquirere jusserit, quodocunque te ex hoc interrogaverit. Sic te Deus adjuvet & istarum sanctorum reliquiarum.

Reliqui ita jurent.

Istud sacramentum quod iste juravit de synodali causa, quod tu illud observabis, in quantum scis aut audisti, aut ab hac die in antea inquisiturus es. Sic te Deus adjuvet.

Burchard.  
ibid. c. 93.

Allocutio Episcopi.

IV. Videte, fratres, ut Domino reddatis juramenta vestra. Non enim homini jurastis, sed Deo creatori vestro. Nos autem, qui ejus ministri sumus, non terrenam substantiam vestram concupiscimus, sed salutem animarum vestrarum requirimus. Cavete ne aliquid abscondatis, & ex alterius peccato vestra fiat damnatio.

Burchard.  
ibid. c. 94.

Post hæc ita per ordinem interroget.

V. 1. Est in hac parochia homicida, qui hominem aut spontanea voluntate, aut cupiditatis aut rapacitatis causa, aut casu, aut nolens, & coactus, aut pro vindicta parentum, quod fœdam dicimus, aut in bello, aut jussu domini, aut proprium servum occiderit?

Burchard. lib.  
1. c. 94.